Lompe

CENTRUM GLORIÆ
Sub OSKIERKANÆ LUNÆ Concavo,

Ceu Luminum Patria
JAM
Ab Igneo inter nuptiales Thedas
JLLUSTRISSIMÆ OGINSCIANÆ DOMûS NOMINE,
JAM
Ab ardentibus in Emerito humero Purpuris,
JAM
à Martijs Ignibus

REPERTUM.

Inter Connubialia verò Fœdera
JLLUSTRISSIMI DOMINI, DOMINI

RAPHAELIS ALOYSII

In MIELESZKIEWICE MIELESZKO

OSKIERKA,

MARESCHALLI Mozyrensis, CAPITANEI Bohrynoviensis &c:
AC
JLLUSTRISSIMÆ DOMINÆ DOMINÆ

TERESSIÆ STANISLAÆ

De KOZIELSK

OGINSKA,

PALATINIDIS Vitebscensis
Palæmonico Orbi

INDICATUM.

ATQUE
à Minima Soc: JESU
JLLUSTRISSIMORUM NEO-SPONSORUM GLORIÆ & HONORI DEVOTISSIMA
Encomiasticis Punctis

SIGNATUM.

VILNÆ, Typis Sacræ Regiæ Majestatis Academicis Soc: JESU. Anno 1741.

In Avita Decora
Utriusq;
JLLUSTRISSIMÆ DOMUS.



Jam conventa quis esse neget Sponsalia Pacta
Arcûs dum formam Porta Ducalis habet.
Scilicet ut pendens in nubibus Iridis arcus,
Sic Arcus Portæ fœdera certa notat.
Quò tamen hic Arcus nisi LUNÆ tendit ad Orbem?
Hanc illi metam fixit amicus Hymen
Et bene! nam flammam spirans OGINSCIA Porta
In LUNA Centrum debet habere Tua.

Ad
JLLUSTRISSIMUM MARESCHALLUM.

NOn audent cum igne, fortissima activitate prædito, reliqua de primatu certare elementa, imò etsi certarent, proculdubio Terra suo pondere prostrata, herbam victrici porrigeret flammæ, Aqua fluctibus ripas arietans, navalem cederet coronam, Aer alioquin liber in Triumpho captivus duceretur, solus Ignis alta utpote petens, Superior evaderet. Abjecta est nempe cæterorum Elementorum indoles, quibus nativa gra-

vitas alta ſapere non permittit, uni ſolùm modo Igni *ad omnia ſumma nato, in ſublime rapi, naturæ conceſſum eſt privilegio.* Quid *cœli faſtigio, ima terræ ſtellis velut oculis deſpectante ſublimius?* Et illuc *tamen aſcendit abſq; ſcalis, evolat abſq; alis, fertur abſq; extrinſeco impulſu,* Celſiſſimus Elementorum *Princeps* Ignis. *Abiit in montana, caput quondam* Gygnantæa *extollens ſeditio, & Pelion impoſuit* Oſſæ, *ut rebelli feriret ſydera vertice; At flamma ſinè montium adminiculo, naturali quâdam extaſi in cœlum rapitur, ex ſublunari mundo in* Lunarem Circulum *velut in alterum migrat* Orbem, *in quo deſtinatum ſibi* Centrum *cum ſummo votorum quærit* ardore. Cœleſtem *quodammodo beatitudinem ſuſcitata in Terris ardent conſequi* Incendia, *ubi in* Lunæ Centro, *medium tenere exambiunt cum* Beatis. Quod *ſi ad tam nobilem Terminum per Viam (ut ita dicam)* Flamminiam *incedens* Elementalis *pergit* Flamma; Quidni *etiam è Tul-*

liano

liano Flumine acsi è Fonte solis *accensū Panegyristæ* verbū sicut facula *ad præfixum in* Jllustrissima OSKIERKARUM Luna Centrū Gloriæ, *congenitô ignibus non feratur impetu. Non dolent se oleum & operam* OSKIERKANIS *impēdîsse Encomiis Cleanteæ Lucernæ, dum in Avitæ* Lunæ *semicirculo collimatam suis igniculis ut jaculis contingunt metam. Ardet in ferro manus etiamnū redivivo Scevolæ, Charachteristico nempe Gediminiæ Universitatis Equitê, & manuali chalibe, Tibi* Jllustrissime MARESCHALLE! *tanquam magnanimo* OGINSCIANI *cordis, inter Nuptialia fœdera Victori, triumphales excitat ignes, qui designatum sub* OSKIERKANÆ Lunæ *concavo Gloriæ centrum in Tui honoris tangunt Puncto. In conum acuitur, dum innatum suo appropinquandi Centro acuit appetitum, nullô satiabilis pabulô Ignei Elementi fames; Ast* Ignatianæ scintillæ *de accenso in Tua præconia Minimæ Societatis corde, prorumpentes, dum*

ad

ad Centricum OSKIERKANÆ Cynthiæ *feruntur Circulum, in acumen desinunt Oratorium. Verùm quid sunt ipsa ignei calami acumina, nisi* Rubus Ardens *nuptiali* Jllustrissimi Hymenæi *thedâ succensus, in quo tot Palæmonica Numina, quod* Jllustrissimorum OSKIERKARUM *nomina demissos in venerationem incurrunt oculos. Amica silentij utut est,* OSKIERKANA Luna, *permitte tamen* Jllustrissime MARESCHALLE *provolantes ex ignito Tullij eloquio scintillas, in Tuo* MARESCHALCALI arundineto *vocalius* discurrere. *In Igneis hic lingvis periodicum supra paginas descendit pneuma; absit ergo ut vocali ejusmodi Igni, tanquam Ephestioni silentium sponsali imponas annulo. Erubescit profectò facundior hæc flamma, mutam ad Ignes exhibere scenam; & quia latè dominans* Jllustrissima OSKIERKARUM Domus ministros suos facit ignem urentem (*a*) *etiam fida sermonis Ministra, expressa nempe in Panegyricis folijs litera ardet; Ardet inquã, ut instar Cræsi* (*b*) *disertius inter Ignes Te nostræ Patriæ proclamet Solonem. Pergite itaq; ad* Centrum OSKIERKANÆ Lunæ *non elingves in periodico discursu Flammæ! Pergite ad terminũ Magnô* RAPHAELÆ *ceu Itinerantium Patronô tritam vobis suarum laudum viam præmonstrante; Ipsis tamen* Jllustrissimis NEO-SPONSIS *nec metas rerum nec Tempora ponite.* Ita precatur

Devinctissimum MAGNIS NOMINIBUS

Collegium Academicum Vilnense Soc: JESU.

(*a*) Psal: 103. (*b*) Cræsus devictus ad rogum damnatus illas identidem ingeminabat voces: o Solon! Solon!

PANEGYRIS.

UT Sphæram igneæ demonstraret activitatis, in Lunari Circulo ignibus domicilium fixit Xenophon; si tamen fixit & non potius finxit, non audet hac in causa patrocinari Tullius, verùm ad altius Aristotelis forum id remittit decidendum. Ferat (ut placet) suam in Philosophicis Thesibus Sententiam Judiciaria Stoæ Curia, triumphabit nihilominus Xenophon; Tuâ JLLUSTRISSIME MARESCHALLE Cynthiâ litē dirimente. In Faciem OSKIERKANÆ LUNÆ proculdubio resisteret, si quispiam ab Illa æstuantem in JLLUSTRISSIMO OGIN-

SCIANO NOMINE ſepararet Ignem, quem ipſi inter Nuptialia fædera ſuperi conjunxêre. Perennem itaq; in ſplendidiſſima OSKIERKARUM Phæbe tanquam in Patria Luminum reperit manſionem fortunatus Incola OGINSCIANUS Ignis, totum OSKIERKANÆ Cynthiæ Orbem, citra Phaetontis caſum accenſurus in Amorem. Non ita tamen Anguſtis Limitibus Tuæ LUNÆ definitur Orbis, ut in ea præter OGINSCIANUM Ignem nulli alteri Flammæ locus ſtandi relinquatur. Quis enim ignoret Lunaris Tui Circuli centrum eſſe in Polono Polo ubiq;, circumferentiam nuſquam. Innumerorum igitur Ignium capaciſſima eſt, Ignea Palæmonici Cœli ſphera, OSKIERKANÆ nimirum LUNÆ Orbita. Quot hic ceu in proprio Centro ad inſomnes alioquin natæ vigilias quieſcunt Flammæ, non jam vincit, ſed obruit penè earundem tumultus ſpectatricis pupillæ aciem. Verùm nè pluribus ſimul intentus Ignibus, minor ſit in Oratoria periodo ſenſus, Juvat in hac Panegyri velut in *Numerorum Libro* tendentium ad Centrum OSKIERKANÆ Phœbes Flammarum numerum per ſingula dividere puncta. Diviſus quidem in funebri Etheoclis & Pollinicis pyra Ignis nondum extincta Fratrum demonſtravit odia, hic tamen dividendæ punctatim Flammæ gratiam fortè in geminis Palæmonici Poli Oculis, binis nempe ILLUSTRISSIMORUM OSKIERKARUM ſideribus invenient.

IGNIS

I G N I S

In Jllustrissimo OGINSCIANO *Nomine relucens ad repertum in Jllustrissima* O-SKIERKARUM *Luna Gloriæ Centrum tendens. Atq; festivis Hymenæi thedis auctus.*

LIquescunt præ gaudio instar Dedaleæ pennæ, etiam Tulliani calami, dum ardenti proximo Ucalegoni, Igneo scilicet JLLUSTRISSIMORUM OGINSCIORUM appropinquant Nomini. Equidem nec prope accedere, nec longè ab hoc Igne sejungi, hærenti in primo dictionis passu expediret Oratori, nè prope Flammas instar temeri papilionis volatile ingenium circumvolitando, cujuspiam erga JLLUSTRISSIMAM OGINSCIANAM DOMUM, irreverentiæ notam, Panegyricis inurat paginis, aut longè remoto pede, frigidam reddat orationem, cautè ergo Oratorium accessum currente calamo molire svada; ne inter duo extrema versando, sive per excessum, sive per defectum delinquas. Medium proinde tutissima teneat, Panegyrica Eloquentia, non aliter enim ad præfixum finem, nisi adhibitis tenditur medijs. Finis certè ultimus nostrum Opus coronans sunt coronata JLLUSTRISSIMI MARESCHALLI desideria, adest jam Illi *prætiosa Viri Corona* JLLUSTRISSIMA NEO-SPONSA,

hac redimitus Hæres Angelici Nominis RAPHAEL, ubi nam nisi inter *Thronos* est locandus. Quid hæres attonitis in flammeum Servij Tulli verticem defixa Oculis, caput Urbium Roma? (a) nimirùm quod ei succensa portentoso Igne Cæsaries, facem prætulit ad Coronam; Idem namq; nuptiales thedæ flammam ab Igneo JLLUSTRISSIMORUM OGINSCIORUM derivantes Nomine luculentius præstitêre. Vidit illas ad Coronaria Hymenæi serta prælucentes Palæmonicus Orbis; vidit, & JLLUSTRISSIMAM ad præsens vitæ consortem inappretiabilem fore OSKIERKANI Capitis prævidit Coronam. Victimam igitur amoris sed coronatam, nemo esse JLLUSTRISSIMUM ambigat MARESCHALLUM, qui instar holocausti OGINSCIANO ardet consumi totus in Igne. Quanta putatis non jam in Apollineis chordis, verùm in fæderatis per Sponsalia pacta cordibus, hic mutuæ concordiæ resonabit harmonia; Certè si ex uno ad alia & alia Romanæ Urbis tecta saltum agentibus flammis, bustuariâ cytharâ coronatus alluserit Incendiarius Nero, quidni etiam ardente inversâ Româ, sociali videlicet conjunctæ utriusq; JLLUSTRISSIMÆ DOMûS amore, semel inviolabili nexu obstricta conjugalis fides gratissimum non edat virtutis concentum, Exules nimirum aliunde virtutes dulcem suæ Patriæ fumum, in Sponsalibus JLLUSTRISSIMI Architalassij facibus invenêre. Nil hic itaq; in

(a) Livius *lib: 2do.*

in efformata ad totius Orbis guſtum ſvaviſſima utriuſq; JLLUSTRISSIMÆ Partis indole inconditũ, nil in moribus crudum; Adeo omnem excoxerunt cruditatem hinc immortales Cœlorum Ignes, gemina ſcilicet JLLUSTRISSIMORUM OSKIERKARUM Sydera, illinc cognata OGINSCIANÆ DOMUI Flamma. Nunc devenimus magna JLLUSTRISSIMORUM NEO-SPONSORUM Nomina Paranimphô prope Numine in *unum cor & animam unam* uſq; ad extremam â corpore diviſionem coaluiſſe; In quibus par probitas, par Generis ſplendor, par fortuna, evidens perennaturæ gloriæ argumentum ab omnimoda deducunt paritate. Scilicet non ſola in flore hucuſq; vigens liliata Gallia, verùm etiam fulciens Avitis olim columnis Sarmaticum Cœlum, Litvania, *(a)* habet ſuos Pares; ſeu grandes in illis titulos, ſeu conjugales reſpicias Thalamos. Credite mortales non tantùm filius incendij cinis, verùm & Ignis æquat omnes. Teſtem do ingenitam OGINSCIANÆ DOMUI Flammam, an enim Illa ad octavum uſq; (non dico caloris) ſed meridiani honoris aſcendens gradum, quenquam ex Litvaniæ non adæquavit Grandibus; cui in Alimentum Senatorij cedunt Faſces, nè deficiat, cui faventis Fortunæ aſpirant Favonij nè unquam vel in ultima Domûs ſuæ extingvatur ſcintilla. Utrum everſor Urbium Ignis aurea Neroni poſt incendium condiderit Palatia nolo de hiſtorica

C 2 Sve-

(*a*) Kojałowicz *lib: 2.*

Svetonij fide inutilem suscitare controversiam; illud profectò nullatenꝰ in suspenso tenent, asveta figuratis suspensionibus Rhetorum judicia; quòd insita JLLUSTRISSIMÆ OGINSCIORUM Propagini flamma, an veriùs auriflamma auream eorundem, quia *Aureis Patrum niveisq; moribus* ditatam, reddiderit Domum. Minus illa tamen operæ pretium impendisset in deauranda JLLUSTRISSIMA DOMO, nisi etiam Avitam Ejus *Auream* efficeret *Portam*, quæ tunc plane *Annum gratiæ* Sponso diei JLLUSTRISSIMO aperuit MARESCHALLO, cùm ad primum instantium votorum patuit pulsum. Rapuit quondam abeunte in direptionem Trojâ sacros ex Igne Penates eliminatus Patrio climate Æneas, at Tibi JLLUSTRISSIME MARESCHALLE. JLLUSTRISSIMUS MARCIANUS de *Kożielsk* OGINSKI Lechici Senatûs à senio nomen trahentis Nestor; quot JLLUSTRISSIMOrum Pignorum, tot *Luminum Pater*, venerandos Avitæ Portæ Lares ex nominali sua Flamma ultro in OSKIERKANAM permisit transferre Domum. Post Characteristicos Penates, annuente magno Litvaniæ Capite JLLUSTRISSIMO videlicet Progenitore, sequitur per medios Nuptialium Thedarum Ignes Te JLLUSTRISSIME MARESCHALLE, ceu suum Æneam Creusa, JLLUSTRISSIMA de OGINSCIIS TERESSIA individua vitæ socia; sequitur inquam comite oris Gratiâ, Duce Fortuna Ducali, triumphalem Augen-

te

te Pompam JLLUSTRISSIMORUM Fratrum Quinqueviratu. Difcute JLLUSTRISSIME MARESCHALLE non ita pridem Litvanæ Themidis in Tribunalitio Areopago admotus bilanci; difcute (obfecro) maturo judicio varia JLLUSTRISSIMORUM Fratrum, teneræ propenfionis documenta in gratiam JLLUSTRISSIMÆ NEO-SPONSÆ exhibita. Hic in ordinata Tuorum Aftrorum Acie perennia amoris figit Caftra Magnus M. D. L. Caftrorum Præfectus JLLUSTRISSIMUS IGNATIUS OGINSKI ut ab improvifa fatorum incurfione tutum JLLUSTRISSIMÆ Sorori provideat receptaculum; Illic inter Ignatianos Ignes ardens Seraphim, Francifcus verè Seraphicus, an veriùs propter Doctorales laureas, eximiam ipfo fonans ethimo doctrinam Cherub in Ecclefiafticis Exedris flammeum verbi Divini ad OGINSCIANAM PORTAM rotat gladium, quô divifos *propofitionis panes*, reproducto Macedonum more (*a*) Jlluftriffimis NEO-SPONSIS libat. Paribus certat officiis ampliffimum nacta benemerendi campum, reliqua Fraternæ Lineæ confcia Jlluftriffimorum OGINSCIORUM manus, faufta defignat Nuptialia fædera, memorem æterni pacti Iridem fuo præferens in Nomine Jlluftriffimo CASIMIRUS Capitaneus Przewalfcenfis. Profcribit Notariâ pennâ defperatas fortunæ vices, magna fpes Patriæ, olim per Ducalem OGINSCIANAM Domum defendendæ, Jlluftriffimus

(*a*) Macedones divifum gladio panem libabant Neo-Sponsis *Curt: lib:* 8.

THADDÆUS Notarius M. D. L. Evocat inter festivas acclamationes omnem de Cœlo favorem *vox Fraterni Sangvinis* in Jllustrissimo STANISLAO Castellano Vitebscensi. En quanti ceu de Ignitis Vesuviis, bicollibus nempe Fraternis cordibus promicant votorum Igniculi, æternum sanè hic Ignis meretur *gloriæ pondus* in OSKIERKANÆ LUNÆ semicirculo velut in bilance (*a*) appensus, Date manibus plausum scriptorij Encomiastarum digiti! Jam tandem Jllustrissimi Fratres *cum Lucerna corporis sui* perspicaci nempe oculo Hominem supra homines, Jllustrissimum invenere OSKIERKA ab ipso etiam requirendum Diogene; dignum cui licèt cum anhelis non tardanti desiderijs *Os* de OGINSCIANIS *Ossibus* Jllustrissima TERESSIA in Conjugalis vitæ cederet portionem. Abstrusam de extincti Leonis ossibus posse elici flammam, curiosi naturæ affirmant exploratores, o quantas ex Jllustrissima NEO-SPONSA tanquam OGINSCIANO Osse eliciendas OSKIERKANÆ Domûs scintillas ominari licet. Edet in Lucem hæc fortunatior Hecuba, tot faces belli, quot filios pro Patriis aris & focis ad prælia accensos. Desumet ab Illa majus in Palæmonico Orbe Lumen *fax mentis honestæ* OSKIERKANA *gloria* quæ *immensum calcar* magno etiam nostri sæculi addidit ALOYSIO, ut quantocius ad ineundum cum OGINSCIANA prosapia explicitũ connubiale properaret

perararet

(*a*) Pondera mihi pondus Ignis. *Esdræ lib:* 4. *c.* 4.

peraret pactū. Sed jam Jllustrissime MARESCHALLE *omnis* est Tibi in OGINSCIANÆ PORTÆ *Limine Portus*, quô Te LUNÆ semicirculus nauticæ non absimilis cymbæ per rubrum Jllustrissimi Tui Sangvinis provexit mare: Huc Tibi loco præducis Cynosuræ rectam in bivio votorum viam ipsæ monstrârunt Avitæ Stellæ; huc arrepto cursui flammeum OGINSCIANUM Agnomen, tanquam Ptolomæa præluxit Pharos. Tenes tandem votorum summam, in prædita tot Fortunæ & gratiæ dotibus Jllustrissima TERESSIA; nec mirùm ita enim rarô dexteritatis miraculô Cor TERESSIÆ innocenti amore, Angele Patriarum legum Custos RAPHAEL vulnerâsti, ut sic vulnerato Ejus animo nil arrideat nisi *DEI medicina*. Spondet incolumitatem nunquam emorituræ OGINSCIANÆ DOMUI hæc ethimologica medicina nec affine Ignibus Illius nomen, in mortualem sinet desinere cinerem. Addet Ignibus Ignes, Fontes utriusq; Jllustrissimi sangvinis coronans annularis Orbita, ut enim in Regio Francisci Galliarum Monarchæ, sic in sponsali Annulo artificiale Cœlum OSKIERKANIS Jllustratum Sideribus, novus Archimedes Archi-Talassius fabricavit, unde absq; attentato Promethei nisu, mutui affectus flammam, desponsatæ concipiunt mentes. Concepit hæc incendia tota quoq; OGINSCIANA DOMUS, tamdiu erumpentibus de corde flammis, ad Centrum

trum in OSKIERKANÆ Cynthiæ concavo ſitum eluctatura, quamdiu Tu moribus Angele RAPHAEL, velut. *Intelligentia motrix* Avitam LUNAM in Cœlo nobilium Polonia ad augem gloriæ promovebis.

I G N I S

Ab ardentibus in emerito humero Purpuris promicans, atq; in Avitis Colligatarum Proſapiarum ceris accenſus ad Avitam Jlluſtriſſimorum OSKIERKARUM Lunam, *tanquam ad Nativam tendens Patriam.*

INvaſit, nec tamen ullum ſui veſtigium in Paludata Tyberij reliquit veſte prodigiosè ſuſcitatus ignis, aut dedignatus lautiſſimam Tinearum portionem imperialem videlicet conſumere Togam, aut non auſus Regium lædere Paludamentum, nè crimen læſæ incurreret Maieſtatis. Ardent in OSKIERKANIS etiam humeris concolores flammis Senatoriæ Purpuræ, ipsâ Jlluſtriſſimæ Familiæ Arbore ejuſmodi Ignes fovente & alente. Si quæris unde tantum non ſine meritorum fomite conceperint incendium? Converte viſualem radium ad Regnorum ſoles Sarmaticos inquam Reges, qui dum reſpectum

OSKIER-

OSKIERKANÆ Domûs habent, per liquidam Regalis Oculi criſtallum tanquam per vitrum uſtivum, Patritias in Ea accendunt Purpuras. Nemo jam miretur ſumoſas Jlluſtriſſimorum OSKIERKANÆ Familiæ Aboriginum Imagines; Igneus namq́; Trabeæ color, dulci illas ſuæ Patriæ tinxit fumo. Cautè hic ſepulchralem Majorum pulverem Panegyricæ ventilate pennæ, latent adhuc ſub mortuali cinere relicti à Flammeo murice Ignes, fulgent in Purpuris etiam poſt funebres rogos BASILIUS in *Mieleſzkowice Mieleſzko* OSKIERKA Czernichovienſis BOHDANUS Smolenſcenſis, Palatini, uterq́; in Lechico Senatu flammam æmulanti Patritiæ chlamidi oleum affundens ſapientiæ. Flammeſcere alij obſcurioris Lucinæ Filii in Tyrijs exambiunt Purpuris, ut vel ſic in purpuratis Ignibus à rubigine perpoliant Familias; verùm OSKIERKANA Domus aurum optimum in eruditis nacta capitibus, aurea eſt proculdubio, ut pote in ignito murice velut in Igne probata. Non ex parva equidem ſcintilla tantum purpurati honoris erupit incendium, ipſo namq́; cæpit ab incendio Jlluſtriſſima OSKIERKANA Familia; pervigiles Cœli Ignes, coætaneas nempe ſuæ Domui ſtellas, ſortita pro Stemmate. Cadent olim imminentem extremi Judicii prænuntiatura cadentiam ſidera, ceciderunt è Sarmatico cœlo in OSKIERKANAS quoq́; ceras Palæmoni-

E cum

cum Orbem sui in amorem accensuræ stellæ, an veriùs diem Judicii promulgaturæ dignis Libro intaminatorum Judicum SAMUELI & MICHAELI OSKIERKA Judicibus Terrestribus Mozyrensibus; vigilavit pro integritate Legum, etiam noctes Judiciario consecrans Areopago, tam ad vocem DEI, quàm ad vocem populi excitatæ indolis SAMUEL, certavit pro justitia jure gladij armatus MICHAEL, uterq; exuli de Terris Astreæ juridicam reinductionem cum pleno adjudicavit jure. Nec tantùm humectans in juriatorum genas lachryma ante Judiciarias OSKIERKARUM stellas veluti ante sidereos siccabatur Ignes, verùm ipsæ etiam injuriæ Notariis CYPRIANI calamis è Mozyrensi proscribebantur Territorio. Posuêre involantibus in alienam messem litibus terminales limites JEREMIAS Polocensis THADDÆUS Mozyrensis Succamerarii. Solidavit contra omnes casus proximam ruinæ Sarmaticam Troiam Fulcrum Patriæ CYPRIANUS OSKIERKA Mareschalcali Terræ Mozyrensis suffultus scipione, utq; Tibi Jllustrissime MARESCHALLE tradita lampade ad Supremos præluceret honores, ipse tot clarus meritis *in columna* quodammodo *Ignis* suis præivit nepotibus. Quô tandem modô GEORGIUM mortuali licèt oppressum lapide, immortali tamen dignum memoriâ deprædicem. Dapifer ille Mozyrensis nil nisi *Grandium Cibum* præpara-

paratam ſcilicet ad guſtum Senatorii honoris portionem ſuo Magnæ ſpei Filio, Tuo verò Jlluſtriſſimo Progenitori pollicebatur. Reſpondit paternæ expectationi non diu expectata ad Trabeatos honores provectio, Jlluſtriſſimi ANTONIJ NICOLAI *Mieleſzko* OSKIERKA, cui ad Notarias M. D. L. pennas deinde ad Caſtellanos faſces Mareſchalcalis præcurſorem egit Scipio. Generalem ſibi quodam modo congreſſum, certatim concurrentes indixêre honores, ut toties erudito uncta ſudore coronarent ANTONIJ merita. Evaſit clarior ab OSKIERKANA LUNA, umbra virtutis honor, dum præinventam in NICOLAJ Nomine Jconem adumbravit; Notarias Jlli alas amor addidit Patriæ, ut bonis avibus ad Suprema dignitatum evolaret faſtigia; inter Palæmonica tandem primæ magnitudinis cooptatus Luminaria, arſit in Purpura, Senatui Lumen ſuis conſiliis, ſibi verò ſemper in publico ſole verſanti, meridiem accendens honorum. Efferbuit vehementiùs à Trabeatis Jgnibus nunquam refrigeſcens in ANTONIO boni publici amor, incaluit ſingularum virtutum fervor, flagrabat ad largiendum profuſa in ſuperos dextera: victas dedere characteriſticas manus, Fundatoriis impletas gratiis, Seraphici Patris Filii, quos ſibi perpetuis devinxit beneficiis Victor populi NICOLAUS. Excrevit ad juſtam magnitudinem Minorum Ordo, cui pri-

mum Slucciæ jecit Lapidem ANTONIUS, nunquàm ſuæ Liberalitati terminalem, ut inter acephalas hæreſes caput erigeret Orthodoxa Religio. Excitet Jlli aram gratitudinis, tanquam amico Cœlitibus uſq; ad aras, & pro votivo anathemate Tabulas cordis Seraphica appendat Familia; nos verò Tullianam Orationem velut incenſum dirigimus ut magno Patriæ Litemus Statori. Verùm jam ſatis mortuali concreta gelu ac ſimul Senatorio murice ardentia OSRIERKARUM Mauſolæa, Nuptialibus magis Epitalamiis, quàm funebribus Epitaphiis convenientior viſitâſti ſvada! Jn publico Laudum OSKIERKARUM ſacrificio etiam vivorum *memento*. Omnem pœnè ingenij concoquit Tullius ſubſtantiam in encomia Mozyrenſis Dapiferi FRANCISCI OSKIERKA. Saleſius hic eſt certè Franciſcus, ſi Atticos Ejus guſtes ſales, Seraphicus ſi ardentem pro Patria reſpicias zelum, conſcriptus Pater, ſi ad tot magnæ expectationis attendas Filios, nec ipſi maieſtas Oris, nec *Coronæ Patris* deſunt *Filii*. Corona eſt profectò de Lapide pretioſo HIERONYMUS Cleri Splendor, IGNATIUS Clariſſimæ ab avita Face DOMINICI Familiæ Lumen, ANTONIUS MICHAEL & NICOLAUS, non poſtremi in OSKIERKANÆ Familiæ Albo Gloriæ Candidati. Ad mare jam oratorij redeunt fontes, unde

pro-

profluxerunt, ad Te ſcilicet Jlluſtriſſime Mareſchalle OSKIERKANARUM Stellarū Phoſphore in Publicis Sarmatiæ Conſiliis, Angele Magne conſilii RAPHAEL, Regalis brachij toties dextera, prope manus ubi Mareſchalcali inſignitus Virgâ ſolis eam Juſtiniani foliis florentem effeciſti, ubi de Palæmonici Theſauri indemnitate ſollicitus, pretium Tui non vile laboris reliquiſti; Quantum à Te Jlluſtriſſime RAPHAEL utpote Angelo lucis pollicetur ſibi gloriæ lumen Patria; dum in Templo honoris inter magna Litvaniæ computaberis Numina, dum vernantibus in ipſo ætatis Tuæ vere roſeis paludatus Purpuris, vigentem in flore OSKIERKANÆ Familiæ demonſtrabis arborem. Jam Senatorij faſces acſi de vocali Dodonæo nemore eſſent decerpti pro Tua perorant Domo, Jam Patritia Dibapha, Jgni quoad nativum non diſpar colorem, ornandi Tui inflammatur ſtudio, nihilq; jam Tibi viâ Patrum reſtat incedenti, niſi ut per latum Clavum veteri Candidatorum Principum Poloniæ more ad metam votorum contendas; Non recedent à Paternis veſtigiis *Viâ Jlluminativâ* quia ab Avitis illuminata Aſtris, ituri ad honores Filii Lucis ANTONIUS & JOANNES, ſpectabit in Jllis Palæmonia vivas Patris Jmagines, Trabeata non niſi cynnabari colorandas. Si talia de Filiis, qualia de Jlluſtriſſimis Tuis Fratribus è tribus digitis in en-

comia desudantibus velut è delphico Tripode promanata licebit formare auguria, Tenebit proculdubio frontem inter honorata capita Jllustrissimus GERVASIUS LUDOVICUS OSKIERKA Capitaneus Mozyrensis toties in Generalibus Regni Comitiis, Civium pectora ut Sparthæ muros admoto rationum ariete expugnans Cyneas, sed neq; à præcelsis magni Progenitoris cogitationibus, excelsæ mentis degenerabunt Filii ANTONIUS CAROLUS LUDOVICUS & JGNATIUS, evehentur in altum, tum à generis magnitudine tum à sublimi Paternæ Purpuræ colore, verè *filii Excelsi*, Jllustrissimi STEPHANUS MARTINUS BOGUSLAUS & CASIMIRUS, Teq; Jllustrissime Mareschalle ad honores præeuntem magnis assequentur passibus. Attigerunt demum metam per invia & devia sine Rhetorica lege vagantes periodi, & amisso Allegorico filo, vix è perplexo Orationis Labirintho in apertum eluctantur campum. Ad Jgnem ergo iterum in ardentibus OSKIERKARUM relucentem Trabeis redit vel ideo insipida, quia toties ad flammas cramben recoquens Oratoria dictio, ne ab incendio cœpta in tempestate fortè desinat. Salve o splendida Jgnium Patria: OSKIERKANA LUNA faventis fortunæ Cornucopiâ dives, in qua pridem Lucem habitant inaccessibilem Jgneæ Aboriginum OSKIERKARUM Purpuræ, Addet tamen adhuc

Jgni-

Jgnibus Jgnes ad aſſequenda dignitatum culmina ſeſe invicem accendens Jlluſtriſſima OSKIERKARUM Propago, nec Lethæis unquam limphis, trabeatam permittet ſuffocari flammam. Jlluminant pariter Avitis ceris OSKIERKANAM Cynthiam ſuo quantumvis divitem Lumine, etiam Sereniſſima SOBIESCIORUM, Jlluſtriſſima verò TYZENHAUZORUM, BRZOSTOWSCIORUM, TYSZKIEWICIORUM, DONHOFFORUM, WOŁŁOWICIORUM, KOLĘDOVIORUM, SZYRWINSCIORUM, OBORSCIORUM, GRABOWSCIORUM, CHALECCIORUM, NIEZABITOWSCIORUM, KRASINSCIORUM, SOŁŁOHUBORUM, PODBIPIĘTARUM, KARĘGARUM, KORSAKORUM, JELENSCIORUM, WOLBEKORUM, PAKOSZORUM, RYBINSCIORUM, STECCIORUM, OLĘDZCIORUM, CEDROWSCIORUM, BUŁHARYNORUM, BOGUSZORUM, SKIRSCIORUM, NIEPOKOYCZYCCYORUM, SINIECCIORUM, MACKIEWICCIORUM Nomina, Patriam Luminum in Mareſchalcali LUNA Ardentes coram fumoſis Jlluſtriſſimorum OSKIERKARUM Imaginibus, Jlluſtriſſimæ Colligatarum Familiarum inveniſtis Ceræ Centrum, hic vos in Puncto tangite, Orator Punctum ponet dictioni.

 IGNIS

IGNES MARTII
Ab Ardenti pro Patria Jllustrissimorum OSKIERKARUM *zelo per varias hucusq; circumlati Terras, nunc verò in Avita* Luna *terminale Centrum sortiti.*

MArtios Jllustrissimorũ OSKIERKARUM Ignes, nullâ hostilis unquam sangvinis procellâ suffocatos alere non siccâ laudum aggredimur materiâ, Intaminatis hisce paginis Vestalium munia obituris, quamvis sat alimenti istis Bellonæ flammis præbuerunt incensæ hostiles Trojæ, Avito Litvaniæ sonipede, velut Trojanô Equo, ubiq; clades, ubiq; incendia Urbibus invehente. Carbones desolatorios supra incineratos æmulæ Carthaginis arces, toties fax belli reliquit, quoties illam OSKIERKANA circumtulit manus, minax in hostes, Patriam non levi sustentans brachio. Inaudito quondam stratagemati dolosas adhibuit vulpes, natus ad fortia Samson, ut inimicas in pabulum igni daret segetes; at Palæmonicus Orbis Jllustrissimos OSKIERKAS ceu Leones ignem spirantes in Cadmæam sæpenumerò segetem & manipulares adversariorum immisit copias, ubi missiles Gradivi ignes spargerent, incenderent, in mortualem deniq; cinerem

nerem adversas acies reducerent. Exarsit bellum à militari flammula Jllustrissimi Vexilliferi Polocensis SIMONIS OSKIERKA qui illatis Gradivi ignibus, *pœnam sensus* non semel de consangvineis Tartaro Scythicis sumpsit phalangibus. *(a)* Sensere & tumultuariæ Orientalium copiæ *Martem accendi Gregoriano cantu*, dum GREGORIUS OSKIERKA sub Sceptris AUGUSTI & STEPHANI BATORRI Sarmatiæ Regum Ductor Cohortium *(b)* arma virumq; caneret hostilium non nisi cantator funerum. Vos testor conscij Polocenses campi, nonne vestram herbam victoriosis GREGORIJ passibus sæpiùs porrexêre fugientes ex corpore, ne dicam ex præliari arena, Barbarorum animæ. Exundavit Rossiaci Martis torrens Regium BATORÆI Tridentem absorbere paratus; sic exundanti malorum fonti, terminum ut Lyco flumini Thaumaturgus Palæmoniæ GREGORIUS deprompta è Pharetris lethali præfixit arundine. Quin etiam montes BATOREANI ad nutum GREGORIJ, non jam metaphoram fecere, sed in hyperbolen quandam excrevere, ut Orientales Encelados instar Ætnæ obruerent. Tangebant quidem ea rerum tempestate, sublimes hosce fulmina montes, de Polocensibus evibrata propugnaculis, non diu tamen fictitius Jupiter, novus Orientis Salmoneus fulminavit, brevi illum

 iner-

(a) Koiałowicz. (b) Idem in Stemmatis descript: Ductis Cuniculis Moschos involvit.

inermem reddidit armata OSKIERKANA fortitudo *(a)* quàm primùm bellica tormenta cum ingenti hostium præripuit tortura. Dicite in oblivione magis quàm in tumulis sepulti Rossiaci manes! quomodo è vestris subductæ manibus reboantes machinæ velut Perillos sui excruciaverint tauri, quomodo vosmetipsos præclaros veluti custodes ovium Litvanicis inhiantes rapinis, proprii in Sarmatica à GREGORIO coacti castra bellici impugnabant arietes. Par fortitudinis argumentum, armatos convincens Barbaros ad Ułam OSKIERKANUS exhibuit gladius. Fluxæ alias fidei Elementum aqua, fidelis ibi succollatoris obiit vices GREGORIO, sustinuit injectam suo tergo onerariam, subductis ex hostico æneis fistulis gravem, quibus in militaria organa dispositis, exequias incluso Ułæ Srebrnio lusit Mavors Polonus. *(b)* Argenteis alicubi pugnavit hastis Philippus, & vicit; hic neq; argenteum Srebrnij nomen quidquam Orientalibus contulit ad triumphum. Quanto minore pretio, quam olim coronato Macedoni constitit ad Ułam GREGORIO victoria, hanc ille pro aureo asello, Iste pro uno argenteo: perempto nempe emit Srebrnio. Pretiosa interim morte mortuus est Srebrnius, dabant pretium impressæ argenteo homini lethales plagæ.

De

(a) Tormentis Moschum exuit. *(b)* Srebrny Ducem Mosch: Ułæ clausum expugnavit submissis suis nocte per Dunam militibus.

De naulo Charonti persolvendo abijce curam Srebrni, ipse utiq; es argenteus. Examinavit hoc argentum Martiis ignibus OSKIERKA; verùm ceu nullius pretij reprobavit; quid enim valet argentea vagina cum plumbeo gladio? quid pretiosum Srebrnij agnomen cum vilissimo ejus genio? Titulum tantùm (ut video) Srebrnius non naturam argenti habuit; quâ si polleret, certè simpatico more OSKIERKANAM LUNAM sequeretur non persequeretur. Parem cum Triumphatore GREGORIO meretur oratoriæ lingvæ Lauream, SAMUEL OSKIERKA, Colonellus S. R. M. qui Militari lorica pro cassibus usus, hostiles non semel irretiit Aquilas. Scitè hìc in Toga Notarias, in Sago militares alas tractare novit, utrobiq; Notarius; illic in facie paginæ, alibi in facie hostium perennaturos ferreo stylo exaravit characteres, verè ut Romanum Capitolium, sic caput Lechici Orbis JOANNEM CASIMIRUM, Notariæ SAMUELIS manui concrediti scriptorij defenderunt Anseres. O quot inter Silentum umbras hostiles concursant animæ, quibus OSKIERKA nobiliore causa victor, perpetuum apud Inferos indixit silentium. Litem movit communi motu, contra Sarmaticum Jovem expedita Cosatica Gigantonomachia; sed à SAMUELE in ore gladii Regiis partibus patrocinante, de crimine læsæ Majestatis convicta,

 apud

apud Radamantum causam dicere est coacta. Tuo pessimo malo impar viribus Ukrainensis Dares Palæmonicum provocasti Entellum, tantam temeritatem capite luiturus. *(a)* Torquebat tamen. (ut candidè fateamur) ipsa Poloniæ viscera, insana Cosatici fæx populi; quærebat â bellico incendio famam ad Białacerkiew velut ad Templum Dianæ Zaporoviensis Herostratus. Adfuere in tempore JANNUSSIUS RADIVILLIUS & SAMUEL OSKIERKA duo fulmina belli, contra rebelles fulminatura Gigantas. Quid frustra contra Torrentem è Tua cervice latè effusum obstinata in armis niteris rebellio? Duobus ejusmodi Heroibus nec Hercules suffecisset, nondiu utiq; primum sustinuere impetum, campo & vita decedentes animæ, brevi in æternam clauserunt lumina noctem inquieti Cosacorum animi, Lethæo sopori favente OSKIERKANA LUNA. Spectavit Biała-Cerkiew, spectasset si commodè potuisset etiam tota Ecclesia istam heterodoxis Ukrainensibus illatam cladem. Non minori strage, profligata seditiosorum capita ad Turoviam & ad Pinscum cadere sibi in venerationem coegit, *(b)* Victor ubiq; SAMUEL. Quot ibi & quanta messem nunc gloriæ colligens OSKIERKA, plebeis Cosacorum corporibus inarasti vulnera? ut se

Agri-

(a) Cum JANUSSIO RADIVILLIO Cosacos delevit. *Kojałowicz.*
(b) 1660. Pinsci, Turoviæ Cosacos rebelles ferro domuit Curanum Ducem eorum membratim concidi jussit. *Kojałowicz.*

Agricolas non Marticolas fuiſſe meminiſſent. Quid memorem æternâ dignum oblivione Kuranum Ukrainenſium prædonum coryphæum Tuo edicto membratim vel ideo diſſectum, ut in eo ſchiſmaticæ ſectæ notares veſtigia. Victoriarum curſum non ſtitit impigro ad omnia fortia SAMUELI etiam Balthicus in via Leo, Jam prope ſingula Poloniæ oppida, Balthicorum erant *Leonum cubilia*, ubi prædator Svecus, deplumato Polono alite molliter cubabat, quieſcebat, victorias nonniſi ſomniabat. Excuſſit hoſti ſomnum, illato Martis igne SAMUEL; imò veriùs novus hic Epaminondas, quem dormientem reperit, dormientem etiam poſt propinatum lethale reliquit ſoporiferum. Sic Ducale Mirum *(a)* ſic Nove-Miaſto, OSKIERKANA virtute expugnatum, murum amplius Gothico non dedit ſceleri. Multùm quoq; debet SAMUELI Neſviſium, nidus ille RADIVILLIANARUM Aquilarũ contra Sveticos propugnatus bubones; multùm Sluccia; multùm deniq; Podlachia, contra rugientes Balthicos Leones & ad prædã paratos à Palæmonico Hercule OSKIERKA defenſa. Poſt edomitas Nemæas (ut ita dicam) feras, in minorem Orbis Hydram bicipitem nempe Orientalium Aquilam, idem Alcides ferro & igne deſeviit. Fallor! non Alcidam ſed Achillem dicere debueram

(a) Mir recepit Svecis, Neſviſium defendit ab ijſdem ac Sluciam, in Podlachia Samogitia Svecorum Officiales plurimos captivavit. In Pruſſia Nowe-Miaſto recepit.

ram, qui ad Proſtkos non niſi in pede vulnerariab hoſte potuit. *(a)* In OSKIERKANA ſcilicet tibia ludere voluit de victoria redivivus Marſias Roſſus, non pelle, ſed anima à Victore Litvano exercitu ſpoliatus, meliùs ſuis proſpecturus rebus, ſi tempeſtivè receptui cecinisſet, cecinit itaq; Polonia Triumphale carmen ſed non ſine SAMUELIS pede adverſis appetito jaculis, aluit non exciſis de ſylva arboribus, ſed vulneratâ OSKIERKANA plantâ Triumphales ignes; Qui dum hodie in Avita JLLUSTRISSIMI MARESCHALLI LUNA Centrum Gloriæ inveniunt, confines Sarmatiæ monent gentes, nè Martios JLLUSTRISSIMORUM OSKIERKARUM ignes temerario audeant fodere gladio.

(a) 1656. In conflictu ad Proſtkos victor vulneratus in pede. *Kojałowicz.*